



UNIVERSITÉS DE PARIS
BIBLIOTHÈQUE DE LA SORBONNE
13, RUE DE LA SORBONNE - 75257 PARIS CEDEX 05
TEL : 01 40 46 30 27 - FAX : 01 40 46 30 44

Inv.

SIGB

Sibil

SU

790 29663

Cote

U 71 in-4

1153802694



7

PARNASSUS

A LUCTU RECREATUS.

O D E.

QUALIS tumentis sospes ab æquore
Mercator , atras post hyemes , amat
Longos labores & viarum

Sic varios retulisse casus :

Heu ! quot procellis & necibus patent
Campi liquentes ! Vidi ego (mens adhuc
Horret) quot infidum feraci

Monstra sinu pelagus recondat !

Quàm penè avaro gurgite me rapax
Neptunus hausit ! Fulminibus Noti

Immugientes , inter undas ,

Tartareum referant sepulchrum.

Talis retracto , non sine lacrymis ,
Obducta nondum vulnera ; sic juvat ;

Dum * cuncta plaufus , cuncta cantus ,

Dumque novos pugilum triumphos

Blando frementes murmure tibiæ ,

Et fama verax mille tubis sonat ;

Juvat , tot inter læta , vix dùm

Præteritos revocare luctus.

Ah ! dirus auctor , monstrum inamabile ,
Invisa terris & superis lues ,

Sibi hostis infensus , sibi que

Supplicium rabidusque tortor ,

* Solemnité
des Prix de
l'Université.

Atrox colubris Invidia. Hæc modò ,
 Regnata Musis per juga , dùm pede
 Reptaret obscuro ; recentes * ,
 Monte super , juvenum triumphos.
 Vidit , doloris frenduit impotens ,
 Simulque quassans vipereum caput ;
 Impunè nùm tantos honores ,
 Tamque novo patiar coronas
 Florere Pindo ? Non satis hæc tenùs
 Claris vigebat terra potens viris ,
 Superba Graias , hunc in orbem ,
 Et Latias revocasse Musas ?
 Rolline , necdùm post tua funera
 Satis nocebas ? Arma ** nova inferet
 Audax juvenus , & morabor ?
 Tartareâ fata Diva nocte
 Per hos colubros juro , per hoc caput ;
 Ulciscar hostes. Ocyùs , ocyùs ,
 Adeste morbi , monstra , pestes ;
 Me timeant Erebo potentem.
 Dixit : salubres en stygius vapor ,
 Infecit auras : sol trepidus retrò
 Pressit quadrigas ; & sub orbem
 Oppositum fugiens , Tyranno
 Sua ipse cessit regna Favonius :
 Afflante monstro , Mons sacer aruit ,
 Fontesque Pindi decolores
 Sanguineis tumuere rivis.
 Postes an orcus rupit aheneos ?
 Erumpit ignes pestiferos vomens ,
 Erumpit examen tremendum ,
 Luctificum , furiale , dirum.

* L'institu-
 tion de ces
 Prix est assez
 récente.

** Les Com-
 positions de
 l'Université.

Proh ! quanta nostris incubuit plagis
Cohors malorum ! Quàm rabido impetu
Grassata per vicos , per arces
Aonidum , sacra templa vastat !
Ceus flamma flavas per segetes furens ,
Aut arva densis consita saltibus ,
Si fortè ventis acta fertur ;
Fulmineos imitatus ignes
Campos jacentes ignis ovans domat ,
Et cuncta vasto turbine corripit ;
Non faxa , non amnes morantur ;
In cineres abiere campi.
Effræna miris sic rapiunt modis
Portenta mixtos cum pueris viros :
Sed cur in imbellem juventam
Præcipuè fera turba sævit ?
O cura Phæbi , frustrà avidâ manu
Palmas morantes prendere amas , puer ;
Spes frustrà adultas heu ! nefandâ
Præripiet tibi clade pestis.
Cognata quis non funera defleat ?
Quis non amici fata gemat ? Parens
Lectò incubantis jam fugacem
Nati animam retinere tentat ;
Prolem at paterno Mors rapit è sinu ,
Et immerentem barbarâ victimam
Mactat. Per horrendas triumphans
Sic rabies furit ire cædes ,
Cladesque densis addere cladibus.
Non , si ora centum , vox mihi ferrea ,
Tubæque centum ; damna regni
Tanta sacri numerare possim.

Ah ! siste monstrum : quos truculentius
Urges alumnos , Pallas amat ; sua
His credet attritura tandem ,
 Queis melius cadet hostis , arma.
Non falsa vates auguror. En redit
Sol , ridet æther , purior it dies ;
Fugere morbi , monstra , pestes ,
 Palladiis tremefacta telis.
Sic est : Minervæ terribilem ægida
Hastamque fatalem invidia ut videt ,
Heu ! Diva vincis. Quos subegi
 Ergo mihi fugere est triumphus !
Præsente sed jam tuta Deo juga
Pestes levarunt Tartaræ. Tibi
 Jam plaude victrix ô Juventus ;
 Plaude tuis , animosa Pallas.
At vos , triumphis inclyta nomina ,
Quos clara virtus , auspice Pallade ,
Tot inter heroas sacravit ,
 Præmia divideret Latinis
Cum digna Musis Rector & arbiter
Apollo * ; partas tot modò laureas
Densate , pulchrè pertinaces ,
Atque novis cumulate lauris.

* Monseigneur le Recteur.

J. B. F. GIROUX, è Sodalitio
Sanctæ Barbaræ.

*Cum Permissu , die trigesimâ-primâ mensis Augusti , anno Domini
millesimo septingentesimo quinquagesimo-tertio. BERRYER.*

Ex Typographiâ THIBOUST , REGIS , nec-non Academiæ Parisiensis
Typographi. 1753.

